

in eodem cap. 11, dicit: *Deum non deserere justum, nisi prius deseratur ab ipso*, quod etiam repetit idem Concilium in cap. 13; quod dogma verum esse quoad auxilium efficax, præcedenti lib. 4, c. 2, ostendimus. At si auxilium efficax in prædeterminatione consisteret, negaret illud Deus justis antequam desereretur ab ipsis, sicut negavit illud Adamo, priusquam peccaret, et negat illud parvulo baptizato cum primum venit ad usum rationis et primum peccatum committit, et in universum negat illud cuilibet prius justificato, in illo primo peccato quo gratiam amittit, quia, in omnibus his casibus, in illo instanti in quo qui erat justus primo peccat, prius natura quam peccet, caret prædeterminatione ad non peccandum, et consequenter sine culpa sua. Imo, quod gravius est, habet prædeterminationem ad actum, cum quo non potest præceptum servare; ergo tale auxilium efficax, et ejus necessitas, est contra mentem Concilii, et contra alia verba quæ in eodem cap. 13 de justis ait: *In Dei auxilio fortissimam spem collocare et reponere omnes debent*. Nam in auxilio sufficiente solo, et per se spectato, nullus potest spem ponere, si præter illud est aliud necessarium ex parte Dei, et non datur vel non speratur eadem firma spe. Parumque ibi refert dicere illud aliud auxilium esse necessarium ad operari, non ad posse. Nam Concilium loquitur de spe auxilii necessari ad operandum et perseverandum actu, et non tantum ad posse perseverare.

8. At vero si auxilium efficax in illa prædeterminatione consistit, quam Deus pro sua sola voluntate dat cui vult, et negat cui vult, non expectata ex parte eorum ratione vel cooperatione, profecto nemo potest tale auxilium sperare illa firmissima spe; ergo nec potest in tali auxilio spem suam firmissimam collocare, quia firmissima spes fundatur in promissione divina: nemini autem Deus tale auxilium promissit. Nam vel est promissio particularis, et de hac sine revelatione constare non potest, vel est generalis facta omnibus, et hæc vel est absolute facta, et hoc non, alias in omnibus haberet effectum, vel sub aliqua conditione necessaria ex parte hominis, et ex ejus libertate dependente, et hoc etiam non potest dici, quia supra latissime ostensum est auxilium prædeterminans non posse pendere ex libera dispositione, vel obice hominis. Ergo, juxta illam sententiam, nullo modo potest homo firmissime confidere in divino auxilio, sed potius semper timere ne ab ipso, pro sola sua voluntate, de-

seratur, per negationem talis auxilii, vel etiam per impressionem prædeterminationis ad actum malam, quæ summa est desertio, etiamsi actus ille materialiter consideretur. Unde etiam concluditur, ex mente Concilii auxilium efficax tale cogitari debere, ut a Deo fuerit promissum sub illa saltem conditione, quod *nisi ipsi gratiæ defuerimus, sicut cepit opus bonum, ita perficiet, operans velle, et perficere*, quæ conditio non potest esse alia nisi actualis cooperatio ex parte liberi arbitrii, quam respicit auxilium efficax, et quoad effectus executionem per illam consummatur. Et quia illa cooperatio semper est homini libera, ideo dicit Concilium esse in potestate hominis illam conditionem implere, quæ necessaria est ut ab ipso Deo non deseratur. Atque hoc etiam argumentum prosequitur late Diotalev., d. cap. 5. Nos autem, in dict. cap. 2 libri præcedentis, omnia quæ ad illud confirmandum conducere possunt, diximus.

9. *Solvuntur objectiones.*—*Objectio prima.*—*Evertitur.*—Ex his satis probatum credimus illum modum auxilii efficacis prædeterminantis, vel contrarium esse Concilio, vel certe a mente ipsius alienum. Nunc breviter alteram partem, quam proposui, ostendo, nimirum nihil esse in Concilio quod auxilio efficaci congruæ vocationis repugnet, aut minus consonum videri possit. Tria enim loca solent nobis ex illo objici. Primum est in can. 3, in quo definit, *sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, neminem posse credere, sperare, diligere, aut penitere sicut oportet*, sub quo subsumitur, si voluntas hominis non prædeterminatur a gratia, seipsam ad actum sine adjutorio gratiæ se determinare, ac proinde se disponere ad gratiam, quod est contra verba canonis. Sed frivola est illa subsumptio, nam quasi principium in nostra sententia est, voluntatem, divina inspiratione excitatam, sine adjutorio gratiæ etiam physice efficientis, non posse velle, aut se determinare ad agendum aliquid, sicut oportet ad salutem. Unde efficacius nos convertimus argumentum ex illo canone sumptum: nam si doctrina Concilii sufficiens est, ut esse debet, inde colligimus ad hos actus non requiri prædeterminationem. Nam sicut dixit sine inspiratione et adjutorio non posse actus illos fieri, ita significavit cum inspiratione et adjutorio posse fieri, neque aliam gratiam esse necessariam. Sed potest dari inspiratio et adjutorium sine determinatione, ut in superioribus probatum est, quia potest dari principium adjvans, et non prædeterminans

physice potentiam, et potest dari actuale auxilium adjvans, quod non sit inspiratio, nec præveniens motio, ac proinde neque prædeterminans. Ergo quidquid additur est præter doctrinam datam a Concilio in illo loco; quod potest confirmari ex cap. 16, ubi, numerans auxilia quæ Christus in justificatos influit, et optime possunt sine prædeterminatione subsistere, addit Concilium, illis positus, nihil justificatis deesse ad bene operandum et merendum.

10. *Secunda objectio.*—Alter locus est canon. 4. Nam quia Concilium ibi dicit: *Liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum, etc., posse dissentire, si velit, et aliquid agere, neque mere passive se habere*, inferunt, cum dicit: *motum et excitatum*, præter excitationem, ponere motionem, quæ non potest esse nisi prædeterminatio; ac subinde cum dicit: *Posse dissentire, si velit*, solum docere per illam motionem non auferri a voluntate libertatem, quam habet innatam, ac proinde posse dissentire in sensu diviso. Ac denique, ex eo quod Concilium contra Lutherum docet, aliquid agere liberum arbitrium, quia non mere passive se habet, colligunt sensisse Concilium hoc satis fuisse ad damnandum etiam Calvinum, quia si voluntas agendo consentit, et cum potestate dissentendi, non potest non libere agere.

11. *Eliditur.*—Sed hæc quam sint contraria verbis et intentioni Concilii, satis a nobis ostensum est, et breviter declaratur. Nam imprimis cum dicit: *Motum, et excitatum*, gratis fingitur particulam *motum*, idem significare quod *prædeterminatum*. Nam si attendamus ordinem litteræ, prius dicit *motum* quam *excitatum*: cum tamen, si detur prædeterminatio, excitatio debeat illam præcedere; si vero vim vocis spectemus, *motum* universalior est quam *prædeterminatum*, vel excitatum. Non oportet ergo per illas duas voces, duas distinctas mutationes intelligere, sed quod per unam dictum fuerat generali verbo, per alteram magis in specie declaratur. Vel certe, quia liberum arbitrium dicitur moveri objective per intellectus illuminationem et objecti propositionem, quæ motio, quoad voluntatem, est quodammodo metaphorica, fortasse insinuare voluit Concilium, liberum arbitrium non solum habere esse motum, utique illo modo, sed etiam excitatum per aliquam affectionem in illo formaliter receptam, ut lib. 3 explicatum est.

12. Forte tamen sine ullo mysterio duas

voce posuit Concilium ad majorem rei expressionem, sicut ibidem subjungit: *Assentiendo Deo excitanti atque vocanti*, quæ duæ voces fere æquipollentes sunt, vel eandem rem sub diversis respectibus significant, et de neutra earum fingi potest, quod prædeterminationem significat. Unde quod Concilium addit, *posse dissentire, si velit*, evidenter destruit prædeterminationem, quia necesse est loqui de potestate in sensu composito, ut probatum est, qui sensus est impossibilis, et contradictionem involvit cum physica prædeterminatione, ut in cap. 11 ostensum est. Quapropter quod tandem addit Concilium, *liberum arbitrium aliquid agere*, non physice tantum, sed etiam moraliter intelligendum est, prout agere dicitur qui est dominus suæ actionis. Unde in cap. 5 inde probat liberum arbitrium aliquid agere recipiendo inspirationem, quia illam abjicere potest. Quia nisi ageret ut habens dominium sui actus, non posset inspirationem abjicere. Unde in hoc etiam distinguit hominem a brutis vel inanimatis, quæ, comparata ad hominem, non agunt, licet efficientiam physicam habeant.

13. *Objectio tertia.*—Tertius locus est in cap. 16, ubi Concilium ait: *Non habere hominem unde in se, et non in Domino gloriatur, cujus tanta est bonitas erga homines, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*. At vero, si determinatio ad consensum esset ita propria humanæ voluntatis, et non esset ex prædeterminatione Dei, jam haberet homo aliquod omnino proprium, unde in se, et non in Domino gloriaretur, utique in sua determinatione, quæ magni momenti est ad meritum. Imo, cum actus solum imputetur homini ad meritum ratione illius determinationis, non recte diceretur Deus imputare nobis ad meritum sua dona, sed determinationem nostram nobis omnino propriam.

14. *Solvitur.*—Respondemus etiam in hoc argumento tacite involvi illam pessimam illationem, quod determinatio nostra libera, si non sit ex prædeterminatione physica Dei, non sit donum Dei, quod falsum omnino est, quia, ut actus nostri sint dona Dei, non oportet quod sint ex prædeterminatione divina, sed, ut idem Concilium dicit, satis est quod *sint ex virtute a Christo infusa, quæ talia opera antecedit, comitatur, et subsequitur, sine qua Deo grata esse non possent*, quæ omnia habent nostra bona opera sine prædeterminatione, nam illa antecedit virtus gratiæ excitantis, comitatur virtus gratiæ adjvantis; subsequitur

vero, quatenus ad perseverandum in gratia, bona opera multiplicando, eadem antecedens et comitans virtus necessaria est. Cum ergo tota hæc virtus optime sine prædeterminatione subsistat, non est necessaria ex mente Concilii prædeterminatio, ut nostra bona merita dona sint Dei.

15. Et ob eandem causam, non sequitur posse nos in nobis, et non in Deo de aliquo nostro bono gloriari: nam ipsa libera determinatio, etiamsi a nobis sit, est donum Dei, quia ab ejus vocatione congrua, et auxilio nos adjuvante procedit, et qui sic de illa gloriatur, non in se, sed in Domino gloriatur. Scriptura enim (quod attente considerandum est), cujus verba Concilium usurpat, non prohibet simpliciter gloriari, sed in se et non in Domino, ut Jerem., cap. 9, significavit, et exposuit Paulus, 1 Corinth. 1, et 2 Corinth. 10, ubi simul prohibemur gloriari in nobis, conceditur autem nobis in Domino gloriari. At vero sicut ex Pelagiano errore sequitur gloriatio hominis in seipso, ita ex prædeterminatione physica tollitur omnis gloriatio in Domino, quia tribuitur opus gratiæ, ut nulla gloria possit ex eo in hominem redundare, etiam in Domino, quia determinatio ad bonum opus nullo modo est a libertate ipsius hominis, sed ex sola impressione divina. Concilium autem cum Paulo ita conjungit gratiæ influxum cum operatione nostra libera, ut non possit homo in se gloriari, in Deo autem possit.

CAPUT XXXVII.

EXPENDUNTUR CANONES QUATUOR CONCILII MILEVITANI ET ARAUSICANI, ET AN DEUS EXPECTET HOMINIS VOLUNTATEM EXPONITUR.

1. Præter Concilium Tridentinum, nulla generalis Synodus aliquid de gratia in particulari definivit; nam, licet Ephesina Synodus Pelagianos damnaverit, non tamen ex professo doctrinam fidei tradidit, sed solum Cœlestini Papæ sententiam amplexa est, ut in 5 prolegomeno retuli. Et ideo solum de Conciliis provincialibus dicendum superest; nam illorum etiam auctoritas magni ponderis est, et ita illa utitur sæpe Augustinus in hac materia, ut videre licet in Epist. 90 et sequentibus, et in 103, et lib. 3 contra Julianum, cap. 1, et sæpe alias. Inter Concilia autem provincialia quæ de gratia scripserunt, Milevitanum et Arausicanum sunt firmioris auctoritatis, quia et a Sede Romana probata sunt, et antiquissimi

ma traditione, et consensu totius Ecclesiæ sunt roborata, ut in 6 prolegomeno visum est, et unum contra Pelagianos, aliud contra Semi-pelagianos pugnavit.

2. *Concilium Milevitanum quoad gratiam in præsentem expenditur.* — Ex his vero Concilium Milevitanum octo tantum habet canones ad gratiam spectantes, ex quibus duo primi de peccato originali ejusque remissione per Baptismum definiunt; in tertio vero, quarto et quinto, necessitas gratiæ adjuvantis ad cavenda peccata docetur. De quo adjutorio in sexto, septimo et octavo traditur, in hac vita non esse tale, ut ad vivendum sine ullo peccato sufficiat. Ex omnibus ergo illis capitibus, tantum hæc verba quæ in can. 4 leguntur aliquid possunt ad præsentem causam conferre: *Per gratiam non solum nobis revelari quid appetere, quid vitare debeamus, sed etiam nobis præstari ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus.* Quæ possunt in hunc modum pro physica prædeterminatione induci, quia cum illud Concilium ait, per gratiam præstari, non intelligit tantum moraliter, sed etiam vere efficienter ac physice; ergo efficit in nobis gratia, et ut valeamus diligere, et ut diligamus: primum autem præstat per gratiam sufficientem; ergo secundum præbet per efficacem; ergo per gratiam prædeterminantem. At vero in hac inductione, cæteris omnibus concessis, hæc ultima consequentia nullius momenti est; præstat enim nobis Deus, tam moraliter quam physice, ut ipsum amemus; moraliter quidem, per gratiam efficacem prævenientem congrue nos vocando; physice vero, per gratiam concomitantem et simultaneam physice nos adjuvando, quod optime fit sine ulla prædeterminatione, ut sæpe est a nobis explicatum. Cum illud Concilium non aliud gratiæ adjutorium requirat, potius ex illius negativa auctoritate contra prædeterminantis gratiæ necessitatem argumentamur: nec in illo Concilio aliud in hac causa consideratione dignum invenio.

3. *Expenditur Concilium Arausicanum.* — *Objectio.* — *Solvitur.* — Ex Concilio Arausicano generaliter obijciuntur nobis illæ locutiones: *Ipsa gratia facit ut invocetur a nobis, can. 3; Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur, can. 9; Nemo ex eo quod videtur habere gloriatur, tanquam non acceperit, can. 16; Multa in homine bona fiunt quæ non facit homo; nulla vero facit homo bona quæ non præstet Deus ut sa-*

ciat homo, can. 20; Prorsus donum Dei est diligere Deum, ipse ut diligeretur dedit. Ac denique addunt illa, in quibus necessitas prævenientis auxilii definitur. Verumtamen hæc omnia confirmant potius nostram sententiam quam oppugnent, quatenus tantum docent nos moveri et juvari a gratia per inspirationes prævenientes, et adjutorio comitans et simultaneum, nec alicujus auxilii prædeterminantis motionem faciunt. Illa enim duo auxiliorum genera per illa verba indicantur: *Deus in nobis atque nobiscum operatur.* Dicitur enim Deus operari in nobis, quando solus ipse nos movet; operatur autem hoc modo, illuminationes et inspirationes sanctas nobis infundendo, ut idem Concilium dicit can. 43, et 6, et 7, et per easdem dicit facere Deum ut ipsum invocemus, oremus, amemus, seu velimus, et sicut oportet operemur: per inspirationes autem et illuminationes non prædeterminatur physice voluntas, ut jam ostensum est. Quod si vis fiat in verbis *faciendi et operandi*, quæ significant efficientiam physicam, idem respondemus quod de similibus verbis Scripturæ diximus; nam Concilium loquitur imitando Scripturam, et proxime imitatur Augustinum, de quo postea dicemus. Ac denique ipsummet Concilium sensum suorum verborum satis explicuit per verba *illuminandi et inspirandi*; per quæ dicit in can. 7, *dare Deum suavitatem in consentiendo, et credendo*; et can. 17 dixit: *Fortitudinem Christianorum Christiana charitas facit*, ubi verbum *facit* morale certe causalitatem significat; et can. 23 inquit: *Quando homines ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est a quo præparatur et jubetur quod volunt*, quæ est sententia Augustini, tract. 19 in Joan., et apud Prosper. 336, alias 338. Apud Augustinum autem voluntatem præparari a Domino, non est prædeterminari, sed congrue vocari, ut in proprio capite ostendimus. Sed aiunt: Concilium dicit hoc fieri in nobis per operationem divinam; operatio autem divina quid physicum est. Respondeo: etiam inspiratio est quid physicum, nam est divina operatio, et non ideo prædeterminat.

4. *Adducuntur et expenduntur duo alii canones ejusdem Concilii.* — Præter hæc, quæ generalia sunt, expenduntur contra nos duo alii canones ejusdem Concilii. Prior est can. 4, ubi Concilium damnat: *Si quis dixerit, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum*

expectare, etc.; nam ex nostra sententia sequitur Deum expectare voluntatem nostram, ut eam a peccato purget; hoc autem est contra dicta verba Concilii, ut patet: ergo. Major seu sequela probatur, quia Deus non purgat voluntatem a peccato, nisi jam consentientem et determinatam; sed Deus (ut nos dicimus) non efficaciter facit ut determinetur; ergo expectat illam ut se determinet, et sic a peccato purgetur. Ad hunc canonem respondi lib. 3 de Auxiliis, cap. 15, Deum non expectare voluntatem hominis non vocati, ut illum vocet; expectare tamen voluntatem hominis jam vocati, ut consentiat.

5. *Objectiones.* — Hoc vero responsum acriter reprehenderunt, qui postea pro auxilio prædeterminante scripserunt. Ex quibus Cummel., dicto libr. 1, disput. 4, sect. 3, parum a principio, dixit esse sententiam falsissimam. Alii vero dicunt esse contra illud Concilium, quia sensus illius canonis, ut aiunt, est quod, licet quis habeat auxilium sufficiens ad conversionem et purgationem peccatorum, Deus postea non expectat nostram voluntatem, ut actu velit purgari et converti. Hunc autem esse sensum Concilii probat Alvarez, ex contrario errore Massiliensium, quod Concilium damnat. Massiliensium enim sententia erat, postquam Deus vocat hominem ad poenitentiam, expectare eum, ut, si velit, consentiat, non autem efficere ut efficaciter et infallibiliter præbeat assensum; ergo hoc est quod damnat Concilium. Antecedens probat ex Epistolis Prosperi et Hilarii ad Augustinum, et Epistola 107 Augustini ad Vitalem. Et ad idem ponderat verba Concilii, quia non damnat dicentes Deum expectare nostram voluntatem, ut illam excitet, sed non expectare, ut illam a peccato purget. Et addit rationem, *quia, ut purgari velimus, fit in nobis per Spiritus Sancti illuminationem*, quæ debet esse operatio physica, de qua etiam loquitur Paulus, quem Concilium allegat ad Philip. 2, cum dicit: *Deus est qui operatur in nobis.* Ubi etiam ponderat non dicere, *operatur nobiscum*, sed *in nobis*, quod antecessorem quamdam significat. Denique addunt rationes, ut rem ipsam suadeant, quia causa efficiens non expectat suum effectum; sed Deus per auxilium præoperantis gratiæ est causa, quod homo velit; ergo non expectat illum, ut velit. Alias item rationes ab inconvenienti inducunt, quas in sequenti puncto melius proponam.

6. *In quo sensu catholico dicatur Deus expectare, vel non expectare voluntatem peccato-*